





177  
QVAESTIO CONTROVERSA

1770, 34

AN

PIGNORE AMISSO HERES  
SEMPER CONVENIRI POSSIT  
ACTIONE PIGNORATITIA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVII MAL. ANNO CIOIOCCCLXX.

PVBLICE DEFENDET

IOHANNES AVGVSTVS PERLITZ

MARTISBVRGENS.

---

LIPSIAE

LITERIS RVMPEII'S.

QUESTIO CONTROVERSA

PIENRE AMISSO HERES  
SEMPER CONSPIRI POSSIT  
ACTIONE PIGNORATIUA

ILLIUS ICTORVM ORDINIS GRATIA

RESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BRVNING

PROFESSORIS P. ORDINIS IUR. NAT. ET GEN. T.

IN AVDITORIO THEATRINO

DIE XXV MAI ANNO MDCCLXX

IOHANNES AUGUSTVS PERLITZ

LIPSIÆ

LITTERIS RAMPERTII





AN

PIGNORE AMISSO HERES  
SEMPER CONVENIRI POSSIT  
PIGNORATITIA ACTIONE.

---

§. I.



Exigua illa fides, quae inter homines, quibus nec virtus, nec iustitia amplius sancta visa, imo qui ex vtilis rationibus summas iniurias alteri inferre, summaque scelera atque flagitia committere non dubitarunt, causa fuit, vt de accessoriis obligationibus cogitarent, qui de principali non satis securos sese putabant. Is ergo, qui alteri mutuum dabat, cum periculum ipsi videretur,

A 2

tur, an creditum redditurus sit debitor, pignora postulat in securitatem crediti. Exinde contractus pignoratitius originem cepit, ex quo oritur obligatio de reddenda re oppignorata, si amplius securitate aliqua haud egeat creditor. Hinc *actio pignoratitia directa* inuenta, qua pignus suum a creditore, cui satisfactum est, condicit et repetit.

### §. II.

Diximus, hac experiri debitorem actione, si creditori satisfactum sit. Hinc *VLPIANVS* in *L. 9. §. 3. ff. de pignorat. action.* ait: *Omnis pecunia exsolua esse debet aut eo nomine satisfactum esse, ut nascatur pignoratitia actio. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum, caet.* Et infra §. 5. *Qui ante solutionem egit pignoratitia, licet non recte egit, tamen si offerat in iudicio pecuniam, debet rem pignoratam, et quod sua interest, consequi.* Et haec recte, cum accessoria obligatio pendeat a principali.

### §. III.

Non ergo dubitandum est, quamvis pignus amissum sit, tamen prius soluere debere debitorem vel si haud securum se credat, offerre depositum in iudicio. Accedit, cum non constet adhuc, an, amisso pignore, ipse creditor de eo reddendo teneatur. Hinc videndum, quando teneatur creditor de pignore reddendo, quamvis amissum sit pignus, et dein quibus in speciebus, mortuo creditore, eiusdem heredes teneantur.

### §. IV.

Negari nequit, creditorem, cum in suam securitatem pignus possidet ipsi traditum, ad custodiendum quoque illud teneri atque culpam leuem praestare debere. Docet illud PAVLVS in *L. 14. ff. de pign. act.* *Ea igitur, inquit, quae diligens pater familias in suis rebus praestare solet, a creditore exiguntur.* Et cum de diligentia teneatur boni patris familias, non minus et latam culpam et dolum praestare debebit, quippe qui dolus in omni contractu praestandus. Nunquam vero de *leuissima culpa* tenebitur, quippe communis utilitas et creditoris et debitoris interuenit in pignore. Concludo itaque, si nec dolus, nec lata, nec leuis culpa tribui potest creditori in amisso pignore, nunquam ipsum creditorem de pignore restituendo pignoratitia actione conueniri posse, sed rem pignori datam perire suo domino. In hanc rem est Rescriptum SEVERI et ANTONINI A. A. ad *Dioscoridam* in *L. 5. C. de pignor. act.* *Si creditor sine vitio suo argentum pignori datum perdiderit, restituere id non cogitur. Sed si culpa eius deprehenditur, vel non probat manifestis rationibus, se perdidisse, quanti debitoris interest condemnari debet.*

§. V.

Amplius in hanc rem EORVNDem A. A. Rescriptum ad *Trophimam* in *L. 6. eod.* *Quae fortuitis casibus accidunt, cum praecideri non potuerint (in quibus etiam aggressura latronum est) nullo bonae fidei iudicio praestantur et ideo creditor pignora, quae huiusmodi casu interierint, praestare non compellitur, nec a petitione debiti submouetur, nisi inter*



*contrahentes placuerit, ut amisso pignorum liberet debitorem.*  
 Hinc et **DIOCLETIANVS** et **MAXIMIANVS A. A.** re-  
 scribunt *Georgio in L. 9. eod. Pignus in bonis debitoris per-*  
*manere, ideoque ipsi perire in dubium non venit.*

§. VI.

Quae cum ita sint, facile patet, heredem creditoris, qui testatoris sui facta praestare tenetur, si pignoratitia actione conueniatur, tunc demum de restituendo pignore teneri, si ipsi creditori testatori vel culpa lata vel leuis tribui possit in amisso pignore, dummodo probet tempore mortis testatoris creditoris iam amissum fuisse pignus. In quibus vero causis nec ab ipso creditore potuisset peti pignus, in iis ipsis multo minus petatur ab eius herede: Si ergo vel leuissima culpa commissa a creditore vel superuenerit casus fortuitus ex *L. ill. 9. C. de pignorat. act.* cum in bonis debitoris pignus permanferat, ipsi debitori perire in dubium non venit.

§. VII.

Sed videtur subtilior quaestio, si lis oriatur, vtrum heres teneatur probare, diligentiam boni patris familias adhibitam fuisse a creditore, an vero debitori probatio negligentiae et culpa imponenda. Solent iura quaeque bonum habere, donec contrarium probetur: bonus vero et ille erit, qui diligens est in rebus suis recte curandis, custodiendis, tractandis. Malum vero dica-  
 mus



mus et cum, qui illud intermittit, ad quod lege erat obligatus praestandum. Ex his puto, debitorem compellendum ad negligentiam probandam a creditore commissam, non aequè heredem ad probandam diligentiam, quae in quoquo tanquam bono praesumenda, donec contrarium proberur. Neque enim hanc diligentiam semper scire poterit heres saepissime rerum testatoris sui atque negotiorum ignarus, ut saltem, si iuramentum ipsi deferatur, tantum de credulitate iurare possit. At vero, si negligentiam in rebus testatoris et circa ipsum pignus commissam probauerit actor scilicet debitor, tunc reus, nisi vacuum testatorem a culpa in amisso pignore probeat, recte condemnandus videbitur.

### §. VIII.

At quid! Titia credidit pecunias, acceptis in securitatem pignoribus. Cum vix apud se securo credat pignora, ea quo securiora custodiantur, vel apud amicum deponit, vel abscondit. Breui post subitaneo morte occumbit, absente herede atque cum ipsa sola sit, neque cuiquam manifestare potuerit, apud quem pignora vel deposita, vel ubi abscondita. Quaeritur, an heres adita hereditate possit conueniri pignoratitia actione. Verum quidem est, Titiam vel deposuisse apud aliquem iam ignotum, vel occultasse et abscondidisse securitatis propriae causa, nec manifestasse: Et sic taciturnitatem illam perniciosam debitori, tribuendam videri creditrici. At vero, cum non defraudandi debitoris causa fecerit, neque id probari possit, mortemque  
illam

illam subitanam praeuideri haud potuerit, casui amissionem pignoris tribuendam, neque culpam imputandam creditrici, multoque minus heredi ipsius. Vbi vero culpa deficit ex *L. 8. C. de pign. act.* et *supra all. capitibus* periculum ipsius erit debitoris, cui tanquam domino res sua apud creditorem periit, saluo tamen Domini iure, vt, si postea appareat, apud quem res sit pignori data, vel vindicare ab eo, vel, si apud quem deposita dolo mala retinuerit nec depositum manifestauerit et exhibuerit heredi, ab eo condicere tanquam furtum possit. Neque tamen, cum casu periisse videtur, causa adest, quare heres debitum suum exigere nequeat, cum principalis obligatio per accessoriam solutam haud soluitur.


## T A N T V M.



VD18

ULB Halle 3  
007 208 200





1770, 34  
QVAESTIO CONTROVERSA

AN

PIGNORE AMISSO HERES  
SEMPER CONVENIRI POSSIT  
ACTIONE PIGNORATITIA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR, PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVII MAI. ANNO CIDIICCLXX.

PVBLICE DEFENDET

IOHANNES AVGVSTVS PERLITZ

MARTISBVRGENS.

---

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.

